

Hujusmodi Meteora in Norwegia & Islandia fere quotannis apparent. Oportet humile esse nuperum fuisse & nobis vicinum: nam Pilenburgi duabus ab Hafnia leucis multo clarius majusque spectatum est: unde apparet, illic magis verticale fuisse. Præsentem magis æris statum quam futurum indicat, neque enim semper succedit, quod quidam volunt, æstate serenitatem, hieme frigus consequi.



IX.

Christophori Matthæi Seidelii,
Observatio Luminis Borealis

annī 1707.

Schonbergæ in Vetere Marchia instituta.

Dies elapsa erat mensis Martii *sexta*, annī 1707. Dominica *Esto mihi* dicta, quâ circiter horam fere octavam ego à conula mea surgens animi causa una cum meis extra fores limenque domicilii mei egrediebar, ut stellarum cum reliquarum, tum errantium maximè motus, cursus atque progressus ceu apparatusissimum verarum deliciarum spectaculum intensis oculis contemplerer. Cælum tunc ex omni parte patens nebulisque fugatis apertum, præcipue tamen septentrionem versus serenum conspexi adeo, ut vel minimæ hujus regionis stellæ in oculos nostros sponte sua incurrerent.

Sæpius jam ante hæc borealis cæli plaga me in sui contemplationem rapuerat, quando vel circa idem, vel circa oppositi, id est, autumnalis æquinoctii tempus nocte ferme concubia auroram ipsam fuit mentita. Rem conjectura mihi perpendenti tonitrua & fulgura in memoriam revocavi, his anni temporibus extremas septentrionis oras more solito frequentantia; ex quibus tantum nasci & resplendere fulgorem ratus sum: præsertim cum iste ventorum vehementium gelidorumque nec non immoderate aeris tempestatu nuncius modo non semper certissimus extiterit. Sed tantum abest, ut conjecturæ huic locum relinquam, ut potius aliam hisce *φαινόμενα* veriorem causam subesse statuam; quamvis, quæ illa sit, decernere non possim.

Illorum itaque meminisse tantum sufficiat, quo ad præsens, quod me totum in se convertebat, visum redeam.

Splendor jam speciosus & propemodum ἡλιωφάνεια quædam horizontem borealem illustrabat usque adeo, ut nisi præter quietis appetentiam ipsa fax prima de noctis exordio me certiore reddidisset, nunc certè discere credidissem. Luna quidem vix in conspectum meum venerat, cum opinio quoque menti nostræ insideret, hanc fortasse tantæ claritatis esse genetricem: quæ tamen ipsa tum quia cornua vix monstraverat, tum quia occidens candori huic splendidissimo a feremotissimo nihil detrahebat, animi errorem coarguit simul eripuitque.

Præter lucem in hæcæ fucatis diluculis certe clarissimis porro admiratus sum figuras ex omni parte quasi scenicas. Non enim sicut alias hæc aeris claritas se longe lateque pandebat: sed cancellis suis cœgmentata sub varia μεταμορφώσεις ac μεταχρήματα τιμῆ conspiciebatur. Comparebant primum duo arcus lati satis & oblongi ex occidente orientem versus extensi, qui omnem omnino in se splendorem soli collegerant, reliquo cœli spatio cœruleum tantum colorem præ se ferente. Uterque arcus non præcul a visibili distans horizonte partem circi circiter sextam oculis collustrandam sistebat, aut, si mavis, tantum ferme occupabat in cœlo intervallum, quanto Solis æstivus tum occasus tum ortus sunt disjuncti

Hos dum intueor candore ipsorum haud parum stupefactus, multo magis obstupui varios in illis motus crebrasque admirandasque ipsorum, ut dixi, mutationes; & quod nihilo tamen minus pristinam suam, arcus scilicet, figuram vel retinebant, vel motibus interruptam (quod alteri nobis viciniore maxime obtigit) extemplo redintegrabant. Subito in his λευκόςφαιόν π repræsentabatur, quod subito atque omni expectatione celerius iterum evanescebat. Postea ex inferiori, qui horizonti proximus erat, arcu φλογόφαιόν % columnam, sive pyramidem sed inversam, id est, ex acuto in latum tendentem, specie referens, per vices, ordine tamen ab occasu versus ortum servato, plusquam vices assurgebat, quod pernitate fulgura imitabatur, aerem interpositum ipsumque; superiorem findebat arcum atque tandem hoc a tergo relicto in vaporem lucidissimum, facta prius quadam expansione, conversum adeo repente disparebat, ut nullum profus ejus vestigium cerneretur.

Momentanea (uti sunt humana) hic erant omnia, ut momenta singula observaturus vix ac ne vix quidem potio. a potuerim a notare.

Interca

Interea ex his arcibus alter, nobis nempe propior, pedetentim ascendebat &, postquam figura ejus arcuata disturbata esset, nubem candidissimam nitore suo terram collustrantem representabat. Hanc vero, cum verticem nostrum non citra horrorem aliquem obumbrasset, oram cœli hesperiam invadere lunamque tunc occidentem comitari vidimus. Quamquam autem hæc nubes post lunæ occasum ultra horæ spatium hanc occidentis regionem tenebat, antequam è conspectu nostro est ablata: ipse tamen arcus, ex quo antea illa nubes spargebatur, maxima ex parte instauratus sedem suam priorem reperit.

Tandem ambo arcus hic quidem nocte concubia, ille vero intempesta demum quin ad mediam denique noctem oculis nostris sensim se subdixerunt.

Continuò aer motibus hisce quasi turbatus ac commotus ferè intolerabilis reddebatur; Borea plenis faucibus inde longo tempore horridum gelu spirante turbulentasque alias tempestates hisce in terris commovente.



X.

G. Kirchii,

Brevis Descriptio clari cujus-

dam Luminis,

Anno 1707. die 6. Martii, Dominica quinquagesimæ, Berolini vesperis, versus septentrionem visi.

Die isto solis, per totum diem Berolini, tam manè quam vesperi cœlo fruebamur sereno. Præteritâ nocte gelabat Fig. mediocriter, prout & sequenti. Meridie vero solvebatur 35. gelû lucente Sole. Quum itaque vesperi 8vâ horâ è fenestra hypocausti mei meridiem spectante Jovem observarem ac in ejus distantia a stellis fixis per micrometrum metiendâ occuparer, monebar à nonnemine septentrionem versus oculos conjicere, quandoquidem ibi inſuetum quoddam phænomenon in cœlo apparet, quare conse. im ad fenestram Septentrioni oppositam conversus, clarum